

L 8 Menschenhandel

Tota urbe clamor ac tumultus¹ est.

Homines iam prima luce in forum conveniunt,
nam spectaculum magnum sperant.

Itaque mangonem², dum forum intrat, laetis clamoribus salutant.

Statim Flaviam cum aliis in catastā³ venditionī⁴ exponit.

Tandem magna voce clamat:

„Appropinquate, spectate, emite!

Ecce Alexander! Optime⁵ valet, vitiis vacat, robustus est
et ... magnus philosophus[!]. –

Da exemplum sapientiae, Alexander!“

Nunc Alexander: „Alii nati sunt domini,
alii, ut Aristoteles dicit, servi.

Sed etiam servi homines sunt et cuncti homines sunt aequi.

Itaque nihil interest⁶ inter dominos et servos ...“

Tum homines valde rident et Alexander tacet.

„Optime⁵, Alexander! Tu natus es ad servitutem.

Hic videtis Flaviam et Gallam.

Flavia domina esse solet, Galla serva.

Verbane Alexandri tenetis?

Nihil interest⁶ inter dominos et servos.

Itaque hodie ambas⁷ aequa servitus manet.

Nonne sunt bellae?“

Flavia stat neque verbis mangonis² gaudet.

Maesta de fortuna cogitat. Valde timet.

Subito unus ex hominibus:

„Sumo ambas⁷, sed philosophus[!] non placet.“

1) **tumultus**: Lärm, Durcheinander 2) **mangō, -ōnis** m: Sklavenhändler 3) **catasta, -ae** f: Schaugerüst

4) **venditiōnī**: zum Verkauf 5) **optimē**: bestens, sehr gut 6) **nihil interest**: es gibt keinen Unterschied

7) **ambās** (Akk. Pl.): beide